Incipit prologus beati cassiani episcopi de institutione monachorum

VEteris instrumenti narrat hystoria sapientis
simum salomonem post acceptam diuinitus sapientiam
prudenciamque multam nimis. et latitudinem cordis
quasi arenam maris innumerabilem. ita ut domini tes
timonio nullus ei similis retro actis temporibus extitisse.
neque post eum surrecturus esse dicatur. illud magni
ficum domino templum instruere cupientem alienigene
regis tyri auxilium poposcisse. Cui mis
so ad se yram filio mulieris uidue. quicquid diuina sapientia suggerente pre
clarum in templo domini uel in sacris uasis moliebatur ministerio eius ac dispositione
perfecit. Si ergo ille uniuersis regnis terre sublimior principatus et israhelitici generis
sublimior excellenciorque progenies. illaque sapientia diuinitus inspirata que cunctorum
orientalium et egyptiorum disciplinas instituta superabat. nequaquam pauperis et
alienigene uiri auxilium designatur. recte etiam tu hiis eruditus exemplis beatis
sime papa castor. uerum ac racionabile deo templum non lapidibus insensibilibus sed
sanctorum uirorum congregatione. nec temporale et corruptibile sed eternum atque inexpugnabile
edificare disponens. uasa etiam preciosissima domino cupiens consecrare. non multo
auri metallo argenti ue conflata que post rex babilonis capta concubinarum
suarum ac principum deputet uoluptati. sed animabus sanctis que innocencie. iusticie. casti
tatis et caritatis integritate fulgentes. regem christum in semetipsis circumferunt commoran
tem. egenum me omnique parte pauperrimum ad commonitionem tanti operis digneris asci
scere. in prouincia siquidem cenobiorum experti prouinciarum orientalium. maximeque egyp
tiorum uolens institutionem fundari. cum sis ipse cunctis uirtutibus scientie perfectus.
et ita uniuersis refectus diuiciis spiritalibus ut perfectionem querentibus satis habunde non
modo tuus sermo. sed etiam tua uita sufficiat ad exemplum. me quoque elinguem et pauperem
sermone atque scientia ut aliquid ad supplementum tui desiderii de inopia sensus mei con
feram posceris. precipisque ut instituta monasteriorum que per egyptum ac palestinam custo
diri conspeximus ita ut ibi nobis a patribus tradita sunt. quamuis imperito digeram
stilo. non leporem sermonis inquirens. in quo ipse adprime eruditus es. sed sanctorum sim
plicem uitam simplici sermone fratribus in nouello monasterio tuo cupiens explanari.
Cui rei quantum me pius ardor desiderii tui prouocat obedire. tantum me multi
plices estuum moles. uolentem obtemperare deterrent. primum quia nec uite mee ita
exuberant merita ut confidam me res tam arduas. tam obscuras. tam sanctas.

LANDES- UND STADT- BIBLIOTHEK DÜSSELDORF

cligne posse animo ac mente complecti. Secundo quod ea que a pueritia inter eosdem constituti atque ipsorum incitati cottidianis adhortacionibus et exemplis vel agere temptavimus vel didicimus vel visu percepimus minime ad integrum iam possimus retinere. tot annorum curriculis ab eorum consorcio et imitacione conversacionis abstracti. presertim cum harum rerum racio nequaquam possit ociosa meditacione doctrinaque verborum vel tradi vel intelligi vel memoria contineri. Totum namque in experiencia usuque consistit. et quemadmodum tradi nisi ab experto non queunt. ita nec percipi quidem vel intelligi nisi ab eo qui ea pari studio ac sudore apprehendere elaboraverit possunt. Que tamen si collacione iugi spiritualium virorum frequenter discussa non fuerint et expolita. cito rursum mentis incuria delabuntur. Tercio quia ad id quod utcumque non per ingenium sed pro presentis temporis statu possimus reminisci. imperitior sermo congrue non valet explicare. Huc accedit quod super hac re viri et vita nobiles et sermone scienciaque preclari multa iam opuscula desudaverunt. sanctum basilium et iheronimum dico. aliosque nonnullos. quorum anterior sciscitantibus fratribus super diversis institutis vel questionibus non solum facundo verum etiam divinarum testimoniis composito sermone respondit. Alius vero non solum suo elucubratos ingenio edidit libros. verum etiam greca lingua digestos. in latinum vertit eloquium. Post quorum tam exuberancia eloquencie flumina. possim non inmerito presumpcionis notari. si aliquod stillicidium huic inferre temptavero. nisi ad hec me fiducia tue sanctitatis animaret. et sponsio quod vel tibi hee nuge forent accepte. et qualescumque essent vel eas congregacioni fratrum in novello tantum monasterio commorancium deputares. qui si quid a nobis minus caute forsitan prolatum fuerit quod pie relegant. et cum venia indulgenciori sustentent. fidem pocius sermonis mei quam venustatem eloquii requirentes. Quapropter beatissime papa unicum religionis et humilitatis exemplar. tuis precibus animatus. secundum vires ingenii mei aggrediar opus quod michi iniungis. quod ea que omnimodis intacta relicta sunt ab anterioribus nostris. utpote qui audita pocius quam experta describere temptaverunt. velud monasterio quod in veritate sicientibus intimabo. nec plane mirabilium dei signorumque narracionem studebo contexere. que quamvis multa per seniores nostros. quod et incredibilia non solum audierimus verum etiam sub obtutibus nostris conspexerimus impleta. tamen his omnibus pretermissis. que legentibus preter admiracionem nichil amplius institucionis perfecte conferunt. instituta eorum tantummodo ac monasteriorum regulas. maximeque principalium viciorum. que octo ab eis designantur origines et causas curacionesque secundum tradiciones eorum quantum potuero adiuvante domino fideliter explicare contendam. Propositum siquidem michi est. non de mirabilibus dei. sed de correctione morum nostrorum et consummacione vite perfecte. secundum ea que a senioribus nostris accepimus pauca disserere. In eo quoque tuis preceptis satisfacere studebo. ut si quid forte non secundum typum maiorum antiquissima constitucione

fundamentum · scilicet pro arbitrio uniuscuiusque instituentis monasterium · uel diminutum uel additum in istis regionibus comperi · secundum eam quam uidimus monasteriorum regulam per egyptum uel palestinam antiquitus fundatorum · fideli sermone uel adiciam uel recidam · Nequaquam enim credens rationabilius quippiam uel perfectius nouelle constitutionem in occiduis galliarum partibus repperiri potuisse · quam illa sunt instituta in quibus ab exordio predicationis apostolice a sanctis ac spiritalibus patribus fundata monasteria ad nos usque perdurant · Illa sane moderatione opusculo huic inserere presumam · ut ea que secundum egyptiorum regulam · seu pro asperitate aeris · seu pro difficultate morum impossibilia in his regionibus uel dura uel ardua comprobauero · institutionibus monasteriorum que per palestinam uel mesopotamiam habentur aliquatenus temperem · quia si rationabilis possibilium mensura seruetur · eadem obseruantie est perfectio etiam in impari facultate · Incipiunt capitula libri primi

i · De cingulo monachi · ii · De ueste monachi · iii · De cucullis egyptiorum · iiii · De colobiis egyptiorum · v · De sebratiatoriis eorum · vi · De mafortibus eorum · vii · De melote et pelle caprina · viii · De baculo qualitate uel usum puerum · ix · De calciamentis eorum · x · De temperamento obseruantie que secundum eruitie sit tenenda · xi · De cingulo spiritali et sacramento ·

De institutis ac regulis

Incipit liber cassiani episcopi

De monasteriorum dicturi unde competentius donante domino quam ab ipso habitu monachorum sumemus exordium: quorum interiorem cultum tunc poterimus consequenter exponere · cum exteriorem ornatum sub oculorum obtutibus depinxerimus · Itaque monachum ut militem christi in procinctu semper belli positum · accinctis lumbis iugiter oportet incedere · Hoc enim habitu etiam illos ambulasse qui in ueteri testamento professionis huius fundauere primordia · helyam scilicet et heliseum diuinarum scripturarum auctoritate monstratur: ac deinceps principes auctoresque testamenti noui · iohannem uidelicet · petrum et paulum · ceterosque eiusdem ordinis uiros taliter incessisse cognoscimus · Quorum prior in ueteri testamento · uirginitatis iam flores · et castimonie continentieque prefigurabat exemplum · cum fuisset a domino missus ad increpandos nuntios ochozie sacrilegi regis israel · eo quod egritudine prepeditus super statu salutis sue beelzebub deum accaron consulere destinasset · et idcirco eis occurrens idem propheta descensurum de lecto eum in quo iacebat denegasset · decumbenti regi exposita uestitus qualitate compertus est · Reuersos enim ad se nuntios et referentes prophete sibi sententiam sciscitatus est cuiusmodi esset figure et habitus uir qui occurrisset eis · et locutus fuisset huiusmodi uerba · Vir inquiunt pilosus et zona pellicea accinctus renibus · Ex quo habitu confestim rex contemplatus hominem dei ait · helias thesbites est · zone uidelicet indicio et hirsuti incultique corporis specie